

prædicta, vel aliquod prædictorum. Et quod sic facient, & curabunt, quod prædicta omnia, & singula confirmabuntur, & approbabuntur, & promittent perpetuo debere attendi, servari, & adimpleri, & in nullo contraveniri per capitulum generale dicti ordinis, seu per illum Priorem, vel quocumque alio nomine censeatur, Generalem ordinis prædicti solemniter, & per publicum instrumentum usque ad novem menses proximos, seu in primo capitulo generali, quod fiet per ipsum ordinem, sive per fratres ipsius ordinis. Et quod ab inde usque ad alios sex menses dabunt, & consignabunt ipsi Archidiacono prædicto, seu capitulo prædictum instrumentum. Et inde prædicti D. Archidiaconus, & Canonici, & dicti fratres Percivallus, & Henricus eorum nominibus, & prædictis hanc chartam, & plures ejusdem tenoris fieri rogaverunt, & voluerunt ut supra. Interfuerunt testes D. Robacuntus Guascus, D. Petrus Archipresbiter plebis de Uviliis, frater Gullielmus de Barcellona, qui moratur ad sanctum Dalmatium de Marencho, D. Presbiter Ubertus Pastronus de Vignali, Joannes Guascus, & Gratianus Sichus de Vignali.

Ego Ottobonus Asinarius notarius Sacri Palatii, & scriba capituli Ecclesiæ Alexandriae prædictis interfui, & hanc cartam rogatus scripsi, & subscripsi, & pro ipsa Ecclesia ecc.

Electio Procuratoris facta a capitulo Aquensi in Odonem, ut adeat Episcopos Saonensem, Albensem, Terdonensem ad impediendam consecrationem Oglerii electi.

257

MCCXCVI.

Anno Domini MCCXCVI., indictione IX., die Veneris VIII. junii in Aquis, & in capitulo majoris Ecclesiæ Aquensis præsentibus Vexino Delisalvi, Gullielmo de Munda de Camorino, & Petro Golse testibus vocatis, & rogatis. Domini Ubertus Aquensis Archidiaconus, Præpositus Fridericus, Archipresbiter Obertus Marefarchus sacrista, Bonellus de Bellengeriis, & Alexander de Bellexiis omnes prædictæ Ecclesiæ Aquensis Canonici, ibi pro capitulo residentes constituerunt eorum nomine D. Odonem de Bellengeriis Cantorem, & Canonicum prædictæ Ecclesiæ syndicum, & procuratorem ad repræsentandum se coram V. V. P. P. Dominis, Domino Episcopo Sagonensi, D. Episcopo Albenfi, & Domino Episcopo Terdonensi ad significandum coram eis crimina, & defectus Domini Oglerii, qui se gerit pro Electo Aquensi ad proponendum, & contradicendum, ne dicti Domini Episcopi eidem Domino Oglerio munus consecrationis offerant, vel concedant, & ad appellandum, & jurandum ec.

Et ego Manfredus Caraccia publicus Not. ec.

Alia deputatio duorum Canoniorum, ut eadem de causa adeant ordinarios Ecclesiæ Mediol.

258

MCCXCVI.

Anno Domini MCCXCVI., indictione VIII., die lunæ XVIII. junii in civitate, & in capitulo

majoris Ecclesiæ Aquensis, præsentibus Domino Sicardorana caput populi civitatis Aquensis, D. Aranco Aquensi Canonico, & Willelmo Multuræ de Aquis omnibus vocatis, & rogatis, D. Ubertus Archidiaconus, Bertolinus Præpositus, Obertus Marefarchus Sacrista, & Oddonus Joannes Cantor omnes Aquenses Canonici pro capitulo residentes fecerunt, constituerunt, & ordinarunt communi nomine, & nomine cujuslibet ipsorum, & nomine prædictæ Ecclesiæ, & prædicti capituli D. Fredericum Archipresbiterum, & Bonellum Joannem ambos Aquenses Canonicos, & de prædicto capitulo præsentibus, & sponte excipientibus, syndicos, actores, & procuratores, & nuncios speciales, & quidquid de juris beneficio melius esse possunt, quemlibet communiter in solidum, ita quod non sit melior condicio occupantis, & quod unus inceperit, alter perficere, & finire possit, ad repræsentandum sese coram Dominis Archipresbiteris, & Dominis Ordinariis Ecclesiæ Mediolanensis, & quolibet ipsorum ad denunciandum, & significandum coram eis, & quolibet ipsorum eorum nomine, & nomine prædicti capituli Aquensis crimina, & defectus D. Oglerii, qui se gerit pro Electo Aquensi, & ad supplicandum prædictis Dominis Archipresbiteris, & Ordinariis, ut commissionem factam ad postulacionem dicti D. Oglerii Domino Episcopo Sagonensi, Domino Episcopo Albenfi, & Domino Episcopo Derthonensi, ut ipsi D. Oglerio munus consecrationis impendant, revocare dignentur ad impetrandum, & contradicendum, opponendum, defendendum, jurandum, & ad appellandum, & generatim ad omnia, & singula facienda, quæ in prædictis, & circa prædicta, & quolibet prædictorum fuerint opportuna, & quod ipsimet omnes, & singuli facere possent, si præsentibus essent, dantes, & concedentes prædictis syndicis, & procuratoribus, & cuilibet ipsorum plenam, & liberam potestatem, & mandatum ad prædicta omnia, & singula facienda, quæ circa prædicta, & in prædictis fuerint, & occurrerint facienda, promittentes mihi jam dicto Notario inscripto recipienti, & solemniter stipulanti, nomine etiam eorum cujuslibet prout cujus interest, vel interesse possit, se se rata, & firma perpetuo habituros quæcumque prædicti syndici, & procuratores, vel alter ipsorum in prædictis, & circa prædicta a quolibet prædictorum duxerint adimplere sub obligatione omnium bonorum dicti capituli, quæ bona pro prædictis attendendis, & observandis mihi jam dicto Notario stipulanti, & recipienti nomine, quo supra pignori obligant, & in unum instrumentum, & plura fieri præceperunt.

Et ego Ant. Caraccia public. Not. Palatinus interfui, & rogatus hanc cartam tradidi, & rescripsi.

Sententia arbitratorum circa unionem Eccl. S. M. Magdal., & S. Hyppoliti de Nicia cum Eccl. Aq.

MCCXCVII.

259

Anno Domini MCCXCVII. XXVIII. novembris præsentibus D. Uberto Archidiacono, D. Frederico Archipresbitero, D. Aranco Canonico, D. Bonello Canonico Ecclesiæ Aquensis testibus vocatis,